Ad

Orationem Valedictoriam

Unius Primi Ordinis in Gymnasio Carolino
civis,
die V. Octobris solemni ritu
dimittendi,
benevole audiendam
et
reliquos examinis publici actus præsentia sua cohonestandos
studiorum scholasticorum

Patronos et Amicos

summa qua decet observantia et humanitate invitat
de

Veterum Germanarum gentium regibus

ad Tacit. de Morib. Germ. c. VII. §. 1.
commentatus

Georg. Godofr. Phil. Siefert.
Supremo Megalopolitanorum Duci a Consiliis de rebus scholasticis, nec non
Gymnasii Carolini Director.

Neo-Brandenburgi CIↃIↃCCCXVIII.
Typis Korbianis.

Paruerunt, Ciceroni si credimus, omnes antiquæ gentes regibus suis, et hoc imperii genus primum ad homines justissimos et sanctissimos est delatum. [1]) Licet autem quis, verum hoc esse, in dubium recte vocare possit, ipsique haud ambigamus hoccine de omnibus valeat gentibus, an de iis tantum, quæ innotuerant Tullio: id tamen certum habemus ac persuasum, et extra omnem dubitationis aleam positum esse existimamus, habuisse suos reges, si non omnes, plurimos tamen Germaniæ antiquæ populos; iidemque accedimus Ciceroni, nihil tam aptum esse existimanti, ad jus conditionemque naturæ, quam imperium, *sine quo nec domus ulla, inquit, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* [2]) Intellexerunt hoc jam inde ab antiquissimis temporibus homines: et si quibus regia non placuit potestas, non ii tamen *nemini*, sed non semper *uni* parere voluerunt. Sed quæcunque fuerit aliarum gentium, conditio et civitatis gerendæ forma, hoc tamen minime in incerto positum est, nationibus quæ olim Germaniam incoluerunt, fuisse reges suos, quod quæ ad nos pervenerunt antiquitatis monumenta tradunt omnia. Unicum jam sufficeret, ad quod tota hæc qualiscunque refertur commentatio, Taciti testimonium, *reges Germanos ex nobilitate sumsisse*, asserentis, *duces*

[1]) *Cicero* de Legibb. III. 2.

[2]) *Cicero* de Legg. III. 1.

ex virtute: [3]) sed et alia suppetunt multa. Gothones regnatos esse; Rugios Lemoviosque reges admisisse; [4]) Suionibus unum imperitasse [5]); in Sitonibus feminam dominatam esse [6]); Marcomannis Quadisque usque ad ipsius memoriam reges mansisse, nobile Marobodui et Trudi genus [7]); Verritem et Malorigem Frisios rexisse [8]); Cheruscorum gentem, amissis per interna bella nobilibus, unum qui apud urbem Romam habebatur, regiæ stirpis reliquum, Italum regem petiisse, idem Tacitus est testis. [9]) Ambiorigi regnum tribuit C. Jul. Cæsar, ejusque sub imperio Eburones, Germanicæ certe originis gentem fuisse asserit. [10]) Jam ante Taciti ætatem, Ariovistus inter Germanos potestate fuit regia, licet forsan caruerit nomine. Quale autem fuerit hisce temporibus Marobodui imperium, optime docet Vellejus Paterculus: „Maroboduus,“ inquit, „genere nobilis, „corpore prævalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, „non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem et ex voluntate „parentium constantem, inter suos occupavit principatum: sed certum im„perium, vimque regiam complexus animo, statuit, avocata procul a Ro„manis gente sua, eo progredi, ubi, cum propter potentiora arma refu„gisset, sua faceret potentissima. — — Corpus suum custodia munivit: „imperium, perpetuis exercitiis exercitu pæne ad Romanæ disciplinæ for„mam redacto, brevi in eminens et nostro quoque imperio timendum „perduxit fastigium.“ [11])

---

[3]) *Tacitus* de moribb. Germ. c. 7. — [4]) *Idem* ibid. c. 43. — [5]) *Idem* ibid. c. 44. — [6]) *Idem* ibid. c. 45.

[7]) *Tacit.* de Morr. Germ. c. 42. Cf. Annal. II. 44 et 62. XII. 29. — [8]) *Tacit.* Annal. XIII. 54.

[9]) Cf. *Tacit.* Annal. XI. 16. — [10]) *Jul. Caes.* de Bell. Gall. V. 24.

[11]) Vid. *Vellej. Paterc.* II., 108 et 109. Ceterum monendi sunt lectores, hunc locum in editionibus quæ vulgo feruntur, corruptissimum legi. Secuti sumus in eo laudando Ruhnkenium, ex cujus emendationibus omnia bene procedunt, sensumque clarum præbent.

Sed poſt hæc etiam antiquiora tempora reges præfuerunt Germanis. Alemannorum, Francorum, Gothorum, Quadorum, Burgundiorum aliorumque populorum reges refert Ammianus Marcellinus [12]), quibus et alios Dio Caſſius addit. Præterea antiquiſſimorum Germaniæ regum nomina adfert, et quo ſe invicem exceperint ordine, docet Aventinus [13]).

Nec vero omnes Germaniæ antiquæ populos recenſere, nec eorum enarrare reges animus eſt. Germaniæ civibus Cæſaris, Tacitique ætate non inuſitatum incognitumque fuiſſe regis nomen, regiamque dignitatem jam ex iis quæ modo allata ſunt, ſatis perſpicuum eſt. Et quum gentium plurimarum, quæ olim patriam noſtram incoluerunt, reges Cæſar jam et Tacitus commemorent: nihil obſtare nobis videtur, quominus et aliis ſuos fuiſſe exiſtimemus, etiamſi eorum nulla injecta ſit mentio. Quamvis enim concedamus, alia inter alias gentes eorum fuiſſe nomina, re tamen ipſa, quos *principes* dixerunt alii, alii *duces*, *reges* denique alii convenire, eandemque fuiſſe omnium et dignitatem et poteſtatem, nomine tantum *regis* a nonnullis repudiato, non temere credimus. Id autem, priusquam progredimur, præcipiendum videtur lectoribus, ne ſibi, quales nunc Germaniæ præſunt, in antiqua illa Germania fingant reges. Omnibus enim accuratius excuſſis, diligentiusque iis, quæ de his regibus monumenta incorrupta tradunt inquiſitis, præter nomen nihil hisce regibus relinqui, facile intelligemus.

Quare jam hoc nobis inprimis agendum eſt, ut, quæ fuerit regum Germaniæ antiquæ conditio, quæ poteſtas, quantum occupata opera, animoque multis iisque moleſtiſſimis laboribus diſtracto, fieri poteſt, clarius diſtinctiusque doceamus.

Etenim ſi, quæ jam his noſtris temporibus regum eſt, poteſtate metimur omnes, et eum tantum regem dicendum putamus, qui imperium

---

12) Vid. *Ammian. Marcellin.* Lib. XVII., 2. Lib. XXX. 3. Lib. XXIV. 6.

13) Vid. *Aventini* Annal. Boiic. Lib. I. 5. 6. 7.

habet liberum, ſingulare, perpetuum et hereditarium, a cujusque nutu in terris ipſi ſubjectis pendent omnia; cui jus vitae necisque; cui legum ex arbitrio ferendarum; imponendorum pro libidine tributorum; belli denique et inferendi, et depellendi et componendi poteſtatem damus: nullus omnino in antiqua illa Germania rex fuit. Non autem ſolum plurimum abfuerunt a poteſtate et majeſtate eorum, qui hodie Germaniae imperant populis, reges illi antiqui, ſed nec eo etiam tempore aequum fuit omnibus jus aequumque imperium; magnumque inter eos interceſſiſſe diſcrimen, ipſe, quem ſaepius teſtem producere debemus, Tacitus indicat, dum *adductius quidem, nec tamen ſupra libertatem* quasdam gentes regnatas olim fuiſſe, auctor est. Tantum enim abeſt, ut in unius populi quaſi corpus coaluerint, et ſub eodem fuerint jure ac nomine omnes, licet unius originis uniusque linguae gentes Germaniae, ut potius ne foederibus quidem junctae, perpetua inter ſe gererent bella. Haec enim maxima Germanis fuit laus, quam latiſſimas, circumſe vaſtatis finibus, ſolitudines habere. Hoc proprium virtutis fortitudinisque exiſtimarunt, expulſos agris finitimos cedere, neque quemquam prope ſe audere conſiſtere; ſimul hoc ſe fore tutiores arbitrati, repentinae incurſionis timore ſublato [14]). Bella cum finitimis geſſerunt, cauſas ex libidine arceſſentes: neque imperitandi prolatandique quae poſſidebant, ſed, ut circum ipſos quae jacebant, vasta eſſent omnia [15]). Hinc Chamavi et Angrivarii Bructeros expulerunt, et cum Cheruſcis in æternum diſcordarunt Catti [16]).

Magno ſibi praeſidio eſſe hoc Germanorum in se invicem odium probe intelligentes Romani, nihil magis in votis habuerunt, quam ut

---

14) Vid. *Jul. Caeſ.* de B. G. Lib. VI, 23.

15) *Pompon. Mela* de Situ Orb. Lib. III, 3.

16) *Tacit.* de Moribb. Germ. c. 33.

non aleretur illud solum, ſed etiam augeretur: nihil majorem sibi adferre poſſe utilitatem quam hoſtium discordiam. Qua eadem, non tantum Germaniæ, sed totius fere Europæ ſibi ſubjiciendæ ratione, uſi ſunt etiam nostra ætate callidiſſimi Romanorum imitatores, Franco-Galli. Fœderum autem, quum duo inprimis ſint genera, quorum alterum æquum alterum iniquum dicere ſolent, illiusque ea sit ratio, ut, qui id inierunt, his eadem sint jura: illud inter Germaniæ gentes, eo saltem, quod nos hoc loco reſpicimus, tempore locum non habet. Ad alterum autem quod attinet, hoc quoque abhorruiſſe a majorum consuetudine, quo minus credamus, Julii Cæſaris, Taciti aliorumque nos impediunt auctoritates. Hi enim quum de Germania loquentes, clientum clientelarum ſæpius faciant mentionem, ſatis hoc argumenti est, nonnullas ejus gentes, aut ignobiliores, aut jam fractas, ſuisque rebus diffiſas, ſe in aliorum contiuliſſe fidem, atque aut tributa quædam ſolviſſe aut alia præſtitiſſe quaſi servitutis officia. Conſecuti ſunt hac re ſine dubio, ut, quorum in fide eſſent, hi contra alios eis auxilium ferrent. Sic Condruſi Trevirorum Clientes; ſic Centrones, Grudii, Levaci, Pleumoſii, Gorduni sub Nerviorum; ſic aliæ nationes ſub Suevorum, aliæ denique sub Cheruscorum fuerunt imperio [17]. Ut autem ſanxiſſe inter ſe ejusmodi fœdera Germaniæ populos in aprico ſit: inde tamen minime dici poteſt, eandem aſſumſiſſe rei publicæ formam, qui inter ſe in ſocietatem cocierint.

Abierunt quidem in varias multo magis partes populi nullo modo inter se juncti: in eo tamen de aliis rebus diſſidentes mirifice congruerunt omnes fere Germaniæ gentes, summum imperium, summamque omnium rerum poteſtatem non eſſe *uni* conferendam. Nullus ſuit, Cæſarem ſi audimus, Germanis in pace communis magiſtratus, ſed principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicebant, controverſias minue-

---

[17]) Cf. *Strabo* Lib. VII, p. 281 ſq. edit. Basil. *Jul. Caeſ.* de B. G. Lib. IV, 6. Lib. V, 39. Lib. VI, 10. *Tacit.* de moribus Germ. 36. Annal. Lib. II, 45.

bant, litesque dirimebant. Quum vero bellum civitas aut illatum defendit aut intulit, magistratus, qui eo bello præessent, ac vitæ necisque haberent potestatem, sunt electi [18]). Maxime huic rei respondet, quæ deinde fuit reipublicæ Saxonum antiquorum ratio [19]). Sed habuisse suos reges plurimas certe Germaniæ gentes jam supra evictum est.--

Satis tamen angustos regum illorum potestati limites fuisse positos, satisque parum eis in cives licuisse, nemo mirabitur, quem, quantum fuerit Germanorum libertatis studium, non fugit: siquidem eam Germanum Scythicumque bonum vocant scriptores Romani, regnoque Arsacis fuisse acriorem perhibent [20]). Quam cum summa cura summaque ope tuendam existimarent, facile colligitur, eos neminem regnare passos esse, unde periculum libertati esse posset. Germaniæ regna, qualiacunque fuerint, non fuisse hereditaria, nec lege quadam succedendi ad alios venisse, sed populo permissam fuisse regum electionem, non est ambiguum; quicquid balbutiant de ea re, qui vel historiarum antiquitatisque plane rudes, vel adulandi studio et libidini turpiter dediti, vel patriciatus sui hereditarii sive nebula sive splendore circumfusi et obcaecati, vel alia qualicunque causa permoti, de civitatis gerendæ scientia denuo restauranda, multa quidem, sed plane insulsa, absurda et errorum plena in lucem nuper emiserunt. Reges enim, Tacitus ait, ex nobilitate sumserunt Germani, et in conciliis principes elegerunt, qui jura per pagos et vicos redderent [21]). Regis autem idem ac principis interdum valere nomen, qui judicant, minime mihi errare videntur. Haud obscure id ipse innuit Tacitus, in Germanorum conciliis mox regem vel principem

---

18) *Jul. Caes.* de B. G. Lib. VI, 23.

19) *Beda* Histor. eccles. gent. Angl. Lib. V, 11.

20) Cf. *Lucan.* Pharsal. Lib. VII. 35. *Tacit.* de morib. Germ. c. 37.

21) *Tacit.* de morib. Germ. c. 7 et 12.

audiri, dicens, utrumque quidem auctoritate magis ſuadendi, quam jubendi poteſtate [22]. Hinc, quos *reges* appellarunt alii, eosdem ab aliis *principis* nomine eſſe ornatos omnino fit veriſimile. Eo facilius, ut hoc credamus adducimur, quum, quem antea *regem* ipſe dixerat, Italum eo conſilio a Cheruſcis poſtulatum eſſe deinde perhibeat, ut *principis* locum apud eos impleret [23]. Neque regem flagitaſſe Cheruſcos ego quidem crediderim, quum et ipſi ad depellendum regno ſuo Maroboduum, ob regis nomen apud populares inviſum, bellum ſumſerint, Marcomannisque auxilium tulerint. Contendentibus igitur inter ſe, quæ de Germanorum quibusdam gentibus Jul. Cæſar, Tacitus et Strabo referunt, minime in incerto relinquetur, nullum niſi nominis diſcrimen inter reges principesque interceſſiſſe. Claſſico alæ Trevirorum præfecto, *regium* fuiſſe genus, et pace belloque clarum originem tradit Tacitus [24]: quum Induciomarum, a quo genus traxit Claſſicus, principem fuiſſe Trevirorum affirmet Jul. Cæſar [25]. Julium Paullum et Claudium Civilem *regia* ſtirpe apud Batavos fuiſſe, idem Tacitus memorat [26]. Straboni autem ſi fidem tribuimus, non *reges* ſed principes habuerunt Batavi [27]. Reges autem ſi

---

22) *Tacit.* de morib. Germ. c. 11. *Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia, audiuntur, auctoritate magis ſuadendi, quam jubendi poteſtate.*

23) *Tacit.* Annal. L. XI. 16.

24) Hiſtor. Lib. IV. 55.

25) *Jul. Caeſ.* de B. G. V. 3.

26) *Tacit.* Hiſtor. IV. 13.

27) *Strabo* Lib. IV. p. 188. edit. Baſil. Cf. *Themiſt.* Orat. X. ad Valent. *Valeſius* ad Ammian. Marcellin. Lib. XXVII. c. 9.

ſumſerunt, principesque in conciliis elegerunt Germani, regia omnino poteſtas, quæ demum ea fuerit, a populo cuicunque volebat, eſt delata, atque hic ratum nomen imperiumque effecit. Eodem modo primos Romanorum reges fuiſſe creatos, Servium Tullium autem primum injuſſu populi, voluntate patrum regnaſſe novimus [28]).

Regiæ autem ſtirpis in regibus eligendis habuerunt rationem majores, et nunquam temere niſi ſanguine proximum regem appellarunt. Quam autem ſibi in regibus creandis recte conceſſam putabant poteſtatem, eadem in abrogando illis imperio uſi ſunt. Maroboduus, cui regis nomen omnium invidiam conflaverat, regno expulſus eſt [29]). Arminius quem pro libertate bellantem favor habebat, quum pulſo Maroboduo ipſe regnum affectaret, libertatem popularium ita, adverſam habuit, ut dolo tandem propinquorum caderet [30]). Catualda Hermundurorum opibus pulſus eſt, quum Marobodui regnum occupare in animum induxiſſet [31]). Idem Vannio, Suevis a Druſo Cæſare impoſito, accidit [32]). Quem regem ſalutaverat Cheruſcorum gens, eundem ſecunda fortuna in ſuperbiam prolapſum, diutius regnare non eſt paſſa [33]). Itaque mobile hoc regum Germaniæ imperium recte vocat Vellejus [34]).

Verum enim vero hoc non antiquiſſimis ſolum Germanis uſurpatum eſt, ſed nec qui deinde vixerunt a majorum inſtitutis deſciverunt. Serpſit hæc conſuetudo, ſolemneque ſuum ſervarunt Germaniæ populi, etſi

---

28) *Livius* Lib. I. 51.

29) *Tacitus* Annal. II. 4 ſeq.

30) *Tacit.* Annal II. c 88.

31) *Tacit.* Annal. II. c. 63.

32) *Tacit.* Annal. XII. c. 29.

33) *Tacit.* Annal. XI. c. 17.

34) *Vellej. Paterc.* II. c. 108.

in alias deinde trasierint regiones. Fuit iste inter Burgundos introductus mos, *ut rex qui apud eos appellabatur* Hendinos, *potestate removeretur, si sub ea fortuna titubaverit belli, vel segetum copiam negaverit terra.* 35) Eodem fere modo de Gothis Aimoinius decimi seculi scriptor: *dum rex eis displicet a suis interimitur.* 36) Addit Gregorius Turonensis qui Sæculo sexto floruit: *qui libuit animo, hunc sibi statuunt regem.* 37) Inveteravit eadem etiam inter Francos agendi ratio. 38)

Ex nobilium autem ordine semper reges suos evocasse Germanos, atque hanc nobili stirpe oriundorum fuisse prærogativam, ut ad hoc dignitatis fastigium eveherentur soli, non uno loco confirmat Tacitus. Inter testimonia quibus jam nitimur, primum suo jure occupat locum sæpius jam laudatum illud, quo ex nobilitate sumsisse eos reges defendit. Marcomannis præterea Quadisque reges manserunt, nobile Marobodui et Trudi genus. Regiam celebrant scriptores Julii Paulli et Itali originem, quorum alteri, generis permoti nobilitate regnum detulerunt Cherusci. Insignis vero nobilitas, aut magna patrum merita, principum dignationem filiis etiam assignarunt. Multum enim omnino et honore et auctoritate inter Germanos valuisse hunc nobilium ordinem, Induciomari exemplum probat. Eam enim, cur a suis discedere et ad Cæsarem venire noluerit, causam interponebat, *quo facilius civitatem in officio contineret,*

35) Cf. *Ammian. Marcellin.* L. XXVIII. 5. *Hendinos* sive *Hendinus* est quasi *senior inter cives* a vocabulo *hen* vetus, senex, et *dyn* homo, quibus vocibus etiamnum utuntur Cambri in Britannia. Patet ex hac Wachteri hujus vocis explicatione, *Hendinum* eum significare quem nos lingua vernacula *Altermann* appellare solemus. Cf. *Wachteri Glossarium* v. *Eltermann* p. 366.

36) *Aimoin.* Histor. Franc. L. II. 20.

37) *Gregor. Turonens.* Histor. Franc. L. III. 30.

38) Vid. *Lehmann* Chron. Spir. Lib. II. c. 5.

nec omnis nobilitatis difceffu plebs propter imprudentiam laberetur. [39]) Nec hac in re a majorum inftitutis deflexerunt pofteri. Longobardorum reges *Adalingi* fuerunt [40]), et Franci reges habuerunt de prima et nobiliorum familia. [41]) Qui Bajuvariis præfuerunt duces, femper de genere *Agilolfingorum* effe debuerunt [42]), et Gothi ex *Amalorum* familia civitatum rectores fumferunt. [43]) Neque enim apud Germanos, antiquiffimis etiam temporibus, una eademque omnium civium fuit conditio, fed agnationibus familiarum, certisque hominum ordinibus diftincti fuerunt ftatus, atque multum omnino inter diverfa illa hominum genera jam Taciti ævo interfuit. *Liberti*, inquit, *non multum fupra fervos funt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quae regnantur; ibi enim et fuper ingenuos, et fuper nobiles afcendunt.* [44]) Totidem etiam deinde Germanorum gentes conftituiffe hominum ordines, jam Saxonum tantum exemplo docebimus. De his Adamus Bremenfis: „Quatuor differentiis gens „illa confiftit, nobilium fcilicet et liberorum libertorumque et fervorum. „Et id legibus firmatum, ut nulla pars in computandis conjugiis propriæ „fortis terminos transferat, fed nobilis nobilem ducat uxorem, et liber „liberam, libertus conjugatur libertæ, fervus ancillæ.“ [45])

---

39) *Jul. Caef.* d. B. G. Lib. V. c. 5.

40) Cf. *Paul Warnefrid* Hiftor. Longobard. Lib. I. 21. *Chriftius* de Longobard. ante expedit. pop. in Italiam c. 4. Videatur etiam *Schilteri* Thef. Tom. III. v. *Adhal* et *Adel.*

41) *Greg. Turon.* Hift. Fr. Lib. II. 9.

42) Vid. *Legg. Bajuvar.* Tit. II. 5. 7. et *Schilt.* Thef. Tom. III. v. *Adolfingi.*

43) *Caffiodorus* Var. VIII. 2. 5.

44) *Tacit.* de morib. Germ. c. 25.

45) *Adamus Bremenf.* Hiftor. eccleſ. Lib. I. 5.

Regum autem electionem inaugurato auspicatoque factam esse quis dubitabit? In comitiis creatos esse reges, jam probatum ivimus. De hac enim maximi momenti re omnes omnino fuerunt consultandi. Conventus ejusmodi publicos in locis editis habitos esse, saxumque ascendisse supra reliqua eminens, ut conspicuus esset omnibus, qui pro concione dicturus erat, exempla apud scriptores historiæ antiquæ passim obvia evincunt. [46]) Suffragia autem non omnes iniisse, etiamsi suffragiorum jus penes omnes fuerit, sed hoc pagorum inprimis principibus fuisse commissum, a vero non est alienum. Inserviisse iis in hac solemni regum creandorum ratione, lapides in hunc usum comportatos, electumque regem ex eminentissimo, quem in reliquorum medio posuerant, populo se se ostendisse, ex monumentis antiquis constat. [47]) Sed alium adhuc, quem in regibus principibusque creandis coluerunt majores, ritum describit Tacitus: *Caninefates*, inquit, *Brinionem claritate natalium insignem, impositum scuto, more gentis, et sustinentium humeris vibratum, ducem elegerunt.* [48]) Non autem Caninefates solum, sed et aliæ gentes hunc secuti sunt morem; neque duces tantum sed etiam reges hoc modo sunt creati. Ita Guntchramus, *tradita in manum hasta, regem constituit Childebertum* [49]), eodemque fere ritu Bernardus Saxoniæ dux, regni curam commisit Henrico II. [50]) Idem fuit Longobardorum institutum. De his enim Warnefridus: *Hildebrandum in regem leva-*

---

[46]) Vid. *Snorro Sturleson* in Vita Olai. Tom. I. p. VI. c. 54.

[47]) Vid. *Stephanus* ad Saxon. Grammat. p. 29. *Joh. Magnus* Histor. Goth. Lib. XXI. c. 1. *Olaius Magnus* Hist. popul. septentrional. Lib. VIII. c. 1.

[48]) *Tacit.* Histor. IV. c. 15.

[49]) *Gregor. Turonens.* Lib. VII. c. 33.

[50]) *Leibnitii* Script. rerr. Brunsuic. T. I. p. 368.

verunt, contumque, ſicut moris erat, tradiderunt. [51]) Accuratius hæc perſequitur Gregorius Turonenſis: *Glodoveum*, inquit, *plaudentes tam palmis quam vocibus, clypeo evectum ſupra ſe regem conſtituerunt.* [52]) — *Gundobaldus parmae ſuppoſitus, rex levatus eſt, idemque cum tertio gyraretur, cecidit*, ita *ut vix manibus circumſtantium ſuſtentari poſſet.* [53]) Ejusdem ritus, regumque etiam apud Gothos creandorum modi, plurima exempla prodiderunt ſcritores. [54])

Hæc autem poteſtas, quam in eligendis pellendisque regibus ſibi vindicaverant majores, cum eo maxime tenderet, ne quis imperium ſingulare affectando, libertati officeret, eamque imminueret: non mirum eſt, omnem eos rationem ad id retuliſſe, nihilque magis egiſſe, quam ut arctius cohiberetur regum poteſtas, ne quid per eos detrimenti caperet respublica, et, qua utebantur, illius forma, immutaretur. Quodſi igitur rationes recte ſubducimus, nomine quidem, non autem poteſtate, paucos ſi excipias, reges illos fuiſſe apparebit.

Tria autem quum, ut obſervarunt alii, inprimis ſint, in quibus maxime verſatur reipublicæ forma: conſultatio de iis, quæ ad ſalutem communem pertinent, magiſtratuum electio atque conſtitutio, et denique jurisdictio: hæc omnia penes populum fuerunt in Germania antiqua. Nos ne programmatis limites excedamus, breviter omnia complecti cogimur, et hoc loco jam ſufficiat, quædam tantum, quibus res illuſtratur ſimul et probatur, in medium attuliſſe.

Convocandus et in conſilium adhibendus erat populus, ſi quid de reipublicæ ſumma conſtituendum erat, tantumque abfuit, ut illo invito ac non conſentiente, decernere aliquid licuerit regibus, ut ei potius ſive

---

51) *P. Warnefrid* Hiſt. Longob. Lib. VI. c. 55.

52) *Gregorius Turon.* Lib. II. 40.

53) *Idem* Lib. VII. 10.

54) Cf. *Caſſiodor.* Var. X. 31.

ſenioribus quibus res commiſſa eſſet, eorum ſententiam, ſi diſplicuerat, aſpernari eſſet integrum. Ita enim Tacitus: „De minoribus rebus prin„cipes conſultant, de majoribus omnes. Coëunt niſi quid fortuitum et „ſubitum inciderit, certis diebus, quum aut inchoatur luna, aut impletur. „Nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt. Ut turbæ pla„cuit, conſidunt armati. Silentium per ſacerdotes, quibus tum et coer„cendi jus eſt, imperatur. Mox rex vel princeps, prout ætas cuique, „prout nobilitas prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur, au„ctoritate ſuadendi magis, quam jubendi poteſtate. Si diſplicuit ſenten„tia fremitu aſpernantur; ſin placuit, frameas concutiunt. Honoratiſſi„mum aſſenſus genus eſt, armis laudari." [55]) Ipſe autem populus non de reconciliandis ſolum inimicis, ſed de adſciſcendis quoque principibus, de bello ac pace in conviviis conſultavit. [56])

Sui arbitrii et ſine imperio etiam fuiſſe, qui reges admiſerunt, Germaniæ populos, exempla ipſa ſatis demonſtrant. Servitutis vincula, jujumque omne ita abhorruerunt, ut ne veſtigium quidem ejus inter ſe exſtare paterentur. Regum Germanorum priſcorum ejusmodi fuiſſe imperia, ut non minus haberet in ipſos juris multitudo, quam illi in multitudinem, Ambiorix ipſe rex fatetur. [57]) Et ne conventus quidem publicos indicere regi contigiſſe multorum eſt opinio. Quorum hæc ſententia eſt, ii Cæſaris maxime auctoritate ducuntur, qui Induciomarum concilium quidem coëgiſſe, lege autem communi, non regis juſſu puberes armatos conveniſſe commemorat. [58]) Sed etiamſi hanc comitiorum diem conſtituendi facultatem regibus non denegemus: hoc tamen in ipſis conciliis libertatis indicium fuit, quod non ſimul, nec juſſi comparuerunt, ſed al-

---

[55]) *Tacit.* de morib. Germ. c. 11.

[56]) *Idem* ibid. c. 22.

[57]) *Jul. Caeſ.* de B. G. Lib. V. 27.

[58]) *Idem* d. B. G. V. 56.

ter et tertius dies abſumtus eſt coëuntium cunctatione. [59]) Inferre autem et gerere bellum, et inire pacem, non regum ſed populi munus erat. Belli initium armatum fuit concilium, quo ſe conferre lege communi tenebatur populus: nec hoſtis aliquis niſi in eo concilio judicari potuit. In ipſo bello gerendo ad populi voluntatem ſe accommodaſſe reges, teſtis eſt iterum Ambiorix [60]), ſe id, quod fecerat de oppugnatione caſtrorum, præ ſe ferens, non ſuo judicio aut arbitrio feciſſe, ſed voluntate civitatis. [61])

Neque tributa imponere, pecuniamque imperare et exigere, regibus fuit conceſſum; non tamen omnibus caruerunt reditibus fructibusque. Donorum enim, quæ a finitimis gentibus mittebantur, non ſolum pars ad eos pervenit [62]), ſed mos fuit etiam civitatibus, ultro ac viritim conferre armentorum vel frugum aliquid, quod pro honore acceptum, neceſſitatibus eorum ſubvenit. [63]) Partem præterea mulctæ, quæ civibus irrogabatur, perceperunt reges. [64]) Ne autem factio eſſet regis, nec qui honores magiſtratumque eſſent conſecuti, conſpiratis partibus, ejus caſtra ſequerentur, hoc etiam magiſtratuum creandorum jus populus ſibi ſervandum curavit. Electi enim ſunt in conciliis principes, qui jura per pagos redderent, controverſiasque minuerent. [65]) Sed neque his in cives, quicquid libuit, licuit. A popoluo enim accepta habebant munera, ad cujus etiam nutum et voluntatem ſe fingere debebant, ſi diutius, quem conſecuti erant, honore perfrui vellent. Centeni præterea ſingulis prin-

---

59) *Tacit.* de morib. Germ. c. 11.

60) *Jul. Caeſ.* de Bell. Gallic. V. 56.

61) *Jul. Caeſ.* d. B. G. V. 27.

62) *Tacit.* de morib. Germ. c. 15.

63) *Idem* ibid.

64) *Idem* l. l. c. 12.

65) *Tacit.* de morib. Germ. c. 12. *Jul. Caeſ.* de B. G. Lib. VI. 23.

cipibus ex plebe comites, consilium simul et auctoritas adfuerunt. [66]) Retinuerunt etiam hunc morem posteri. *Regni Francici primores indignatos esse*, refert Aimoinius, *quod quibusdam honores dederat rex sine illorum consensu, et ob id adversus eum conspirasse.* [67])

Reliquum est ut de judiciis exercendis quædam addamus. Sed et hoc loco nihil integrum ac liberum fuit regibus. Sive enim hanc quæ in causis privatis versatur, jurisdictionem, sive quæ publicis propria erat quæstionem respicimus, utramque populo remittunt scriptores. In conciliis electorum principum non rata fuit sententia, nisi populi accesserit auctoritas. Reges autem tantum abest ut vitæ necisque habuerint in cives potestatem, ut ne alia quidem animadversione uti illis fuerit licitum. Animadvertere enim, et vincire et verberare nemini nisi sacerdotibus fuit permissum. His legum etiam ferendarum potestatem nonnulli tribuunt. Plus quidem in Germania antiqua valuerunt boni mores, quam alibi leges: ex quo tamen effici non potest, sine omni justi cognitione, judiciorumque qualicunque forma, vixisse majores nostros. In eo autem inprimis versatum videtur sacerdotum munus, ut ad justitiam formarent hominum mores. Vitæ morumque præcepta, aut si mavis, leges non quidem literis mandarunt, librisque scriptis explicarunt: versibus autem eas complexos esse, sueto Aegyptiis, Persis, Scythis aliisque Celticis inprimis gentibus more, a vero non abhorret. [68]) De Rotharide legum Lombardicorum conditore, Warnefridus scribit, eum, *quas scriptorum serie composuerit leges, ante sola memoria et usu retinuisse.* [69]) Sed

---

[66]) *Tacit.* de morib. Germ. c. 12.

[67]) Cf. *Aimoin.* Rerum Franc. Lib. V. c. 36.

[68]) Cf. *Lauterbachii* dissertat. de carm. vet. Germ. p. 4. *Crellii* progr. de primit. legg. poët. *Reimanni* histor. literar. Germ. P. II. p. 77 seqq.

[69]) Histor. Longobard. Lib. II. c. 44. p. 154.

paucas et intellectu faciles eas fuiſſe haud diffitemur. Neque eadem omnibus delictis conſtituta erat pœna, ſed apud veteres jam Germanos diſtinctio pœnarum ex ipſo delicto, eaque ſubeunda ſemper fuit, quam ſcelere dignam putarunt. Graviſſimæ illis pœnæ erant ſacrorum interdictio, capitisque ſupplicium. Prima tamen et acerbiſſima habebatur proſcriptio: omniumque in odium incurrebat a ſacerdote proſcriptus. Nec ſacris intereſſe, nec concilium inire ius fuit ignominioſo. [70] Quibus ita fuit interdictum, ii numero impiorum ac ſceleratorum ſunt habiti. Deceſſerunt his omnes, aditum ſermonemque defugerunt, ne quid ex contagione incommodi paterentur: neque iis petentibus jus redditum, neque honos eſt communicatus. [71] Proditores et transfugas arboribus ſuspenderunt; ignavos et imbelles et corpore infames cœno ac palude, injecta inſuper crate, merſerunt: leviora autem delicta certo equorum pecorumque numero expiata ſunt. [72]

Judiciorum alia fuit belli, alia pacis tempore ratio. Belli tempore et cauſas cognoviſſe, et controverſias diremiſſe ſacerdotes, nullum eſt dubium. [73] Pacem autem quum habuerunt, in communi concilio diſceptatæ ſunt controverſiæ. Licuit enim apud concilium accuſare quoque et diſcrimen capitis intendere. [74] Sed et in hisce Germanorum conciliis coercendi jus fuit ſacerdotibus. [75] Quamvis autem non magni momenti cauſæ ad pagorum vicorumque principes ſunt delatæ, omnino tamen pro-

---

[70] *Tacit.* de morib. Germ. c. 6.

[71] *Jul. Caeſ.* de B. G. VI. c. 13.

[72] *Tacit.* de morib. Germ. c. 12.

[73] *Idem* ibid. c. 17.

[74] *Idem* ibid. c. 12.

[75] *Tacit.* de morib. Germ. c. 11.

babile eſt, judices, quo pondus accederet deciſioni, ad ſacerdotes ſive Druides, ſive alios qualescunque deorum interpretes confugiſſe. De eorum enim juſtitia ſumma tunc temporis omnium fuit opinio. [76]) Eandem enim fuiſſe in nonnullis ſaltem Germaniæ civitatibus Druidum auctoritatem qua in Gallia floruerunt, haud paucorum ſententia eſt affirmantium, Druides Gallorum niſi et nomine, munere ſaltem fuiſſe ſimillimos Germanorum ſacerdotibus. [77]) Cui quidem ſententiæ etſi me ſubſcribi non patior, non tamen dubito quin venerabiles, et inter ornatiſſimos ſummo ſplendore maximaque auctoritate fuerint ſacerdotes. De Burgundionibus Ammianus Marcellinus: *Sacerdos eorum maximus*, inquit, *vocatur* Siniſtus, *et eſt perpetuus nullisque diſcriminibus obnoxius ſicut reges.* [78]) Sed et feminæ, ſi non primas, aliquas tamen in judiciis Germanorum exercendis interdum egerunt partes. Ineſſe enim iis ſanctum aliquid ac providum putarunt, nec conſilia eorum aſpernati ſunt, nec neglexerunt reſponſa; numinis etiam loco nonnullas habuerunt. [79]) Patet itaque ex omnibus quæ congeſſimus ſcriptorum fide digniſſimorum teſtimoniis, aut nihil, aut pauciſſima tantum, regum illorum Germanorum gentium arbitrio fuiſſe relicta. Inſtituta et mores majorum inſequenti etiam tempore ſecutos eſſe Francos, exemplis multis egregie docet Lehmannus. [80]) Qualis autem regum illorum conditio fuerit, jam ex eo intelligitur, quod legatos eos miſerunt, quibus præerant populi,

---

[76]) Cf. *Strabo* Lib. IV. p. 189 edit. Baſil.

[77]) Cf. *Strabo* l. l. p. 187 et *Tacit.* de morib. Germ. c. 7 ibique interprett. Vid. etiam *Maibom.* diſſert. de Irminſula Saxon. c. 4 et *Jul. Caeſ.* de B. G. Lib. VI, 13 et interprett. ad h. l.

[78]) *Ammian Marcellin* Lib. XXVIII, 5.

[79]) *Tacit.* de morib. Germ. c. 8. Cf. *Keysleri* diſſertat. de mulierib. fatid. veter. Celtar. et gent. ſeptentr. in antiqu. ſeptentr. p. 368 ſeqq.

[80]) Vid. Chron. Spir. Lib. I. c. 39.

ipſique reges ſuſceperunt legationes. Romam ad Neronem *Malorigas* et *Verrites*, Friſiorum principes; ad Domitianum autem *Maſyus* Marcomannorum rex legati venerunt. [81]) Atque alia multa adhuc facile afferre poſſem, ſi inſtituti mei ratio permitteret, hujus rei exempla. Unicum tamen non prætermittendum videtur de Herulorum regibus Procopii teſtimonium: *Quamquam*, ſcribentis, *et antea nomen quidem apud eos rex habuit a privato viro nihil differebat. Nam et aſſidere ei omnes, et una conveſci, et impudenter ut cuique libitum, convivari jurgarique ſolebant.* [82]) Sunt qui exiſtiment, generis magis ſplendorem, quam regiam poteſtatem, illis temporibus regis indicaſſe nomen. Quin ii etiam populi, qui Taciti ætate a reliquis differebant, ut Suiones, quibus unus imperitabat nullis exceptionibus, non precario jure parendi: hi tamen temporis ſucceſſu etiam, ſervitutis vinculis abjectis, libertatem, qua caruerant, ſibi vindicarunt. *Habuerunt enim*, Adamo Bremenſi auctore, *deinde reges ex genere quidem antiquo, quorum tamen vis pependit a populi ſententia. Quod in commune laudaverant omnes, illum confirmare oportuit. Domi pares eſſe gaviſi ſunt.* [83])

Sed ne longius dicendo Lectorum patientia abuti videar, præfationis filum jam abrumpam ad eum me converturus qui huic qualicunque diſputationi dedit occaſionem. Etenim eſt hic juvenis ornatiſſimus humaniſſimusque CAROLUS FRIDERICUS GUILELMUS REINICKE Neo-Strelizio-Megalopolitanus diſciplina et inſtitutionibus noſtris per ſeptennium et ſex

[81]) *Tacit.* Annal. Lib. XIII, 54 et *Dio Caſſ.* Lib. LXVII, p. 76 edit Leuncl.

[82]) *Procop.* rerr. Gothic. Lib. III, 10.

[83]) *Adam Bremenſ.* hiſtor. ecleſ. II, 30.